



1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

DFG



COMMENTATIO
DE 1767 16
INCONGRVA IVRIS ROMANI
AD FEVDA GERMANIAE APPLICATIONE

ORATIONI
PRO RITE CAPESSENDO IVRIS FEVDALIS

DOCENDI MVNERE

D. *I. Maij.* APRIL. MD C CLXVII

HABENDAE PRAEMISSA

A

IOANNE CAROLO GEBHARDO REINHARDO D.
FACVLTATIS IVRIDICAE ET IVDICII PROVINCIALIS
IN MARCHIONATV INFER. LVS. ASSESSORE
ORDINARIO.



VITEBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA.

COMMENTATIO
DE
INCONGRAVATRIS ROMANI
AD TULPÆ GERMANIAE AFFECTATIONI
ORATIO
PRO RITE CAVENDIS IURIS EADALIB.
DOCENDI MUNERE
A
JONNE CARLO GÖTTSCHEO REINHARDO D.
SCHOOLMATE LIBERICIAN ET AUDITIO PROYNGIVATIS
IN MARCHIONATA INTELL. ET ASSESSEOR.
ORDINARIO

MITREGE
EX-GOTHICIZ. GERM. LIB.



DE ROME INCONGRVA IVRIS ROMANI AD FEVDA
GERMANIAE APPLICATIONE.

Quam sua olim memoria morum prisorum depravationem atque iniquum rerum peregrinarum studium moleste serebat Cicero, ^{a)} infusa est, inquiens, in urbem nostram peregrinitas, ut nullum veteris leporis vestigium appareat, eam profecto suo iure infusam in omnem, qua patet, Germaniam dolet optimus quisque: Eheu quanta ubique peregrinitas! Peregrini mores, facetiae peregrinae,

A 2

a) Epist. 15. Libr. IX.



nae, peregrinis habitus, cibus, vrbanitas, vox, vitia, fides! Oculis, animo, auribus, nil nisi peregrina placent. Pulcrum, fucundum, elegans ex stadiorum numero, quibus a patria abest rei origo, aestimatur. Quid igitur in tanta peregrinitate mirum, domesticas leges plerisque nauseam excitare, quid mirum, exteris sanctiones statui saepius moribusque nostris parum consentaneas infelici conatu et impio in iura nostra esse infusas? At enim vero corpori non vnicuique robusto, gracili giganti et pumilio eadem vestis pars est, non uno eodemque remedio omnibus auxilium fertur aegrotis, potius medicinae aliis saluberrimae abusu alios posse necari, quis est, qui dubitabit. Ita profecto leges, quae pro genio nationis atque indole, pro ratione mortum populi, cui dabantur, stabiliebant salutem, perniciem imitatorum excitare, et mala, quae alibi leuant, spar gere facillime possunt. *Ad consilium de Republica ferendum, caput est, nosse Rempublicam* b) saepius vicina sceleratissimum hominum terra, omnium virtutum mater est. Domesticas sceleras domesticas poenas, praemia domesticarum ciuitum praeципuae virtutes exigunt. Quid enim opus est auaro praecepere parsimoniam? Non cadit in ipsum dilapidationis metus, quid opus est timido, ut pericula fugiat, commendare? Sane mater timidii, sine inani lege, flere non solet. Pestifera esset lex in re gione cultoribus destituta, quac secundas improbarer nuptias,

pra-

b) Idem de Oratore Libr. II.

3

praemia potius ibi danda sunt proletariis, qui numerosa sobole
vires Reipublicae augent. Ineptum et ridiculum esset, in statu
aristocratico, democratico, vel mixto cuiuscunque generis, leges
recipere, colere, applicare, quae potestatem mere monarchicam
adiuvant. Sedulo igitur cauendum est, ne quid Respublica de-
trimenti nociuo peregrinac legis vnu capiat.

Tantum quidem abest, ut cum illis faciam, qui, raro tene-
tur medium, pestem quam peregrinarum legum nostris admis-
tio haud raro gignit, perspicentes, omne quod patriam non sapit
originem, ex foro et Scholis furca esse expellendum arbitrantur,
ut potius, abusum ratus non tollere vsum, peregrinas illas le-
ges, quae ciuitatis ius inter nos noctae sunt, dum modo apte
applicentur, sine vlo salutis publicae periculo posse retineri,
tam certus sim, quam qui certissimus. Nunquam enim, fa-
teor, ius Romanum, eximium illud antiquitatis monumentum,
summorum ingeniorum foctum, ac iurisprudentiae nostrae de-
cus praecipuum intueor, quin animum meum veneratione sen-
tiam perfusum et admiratione, atque Cuiacii sententiae, qui illud
ipissimum vocat ius naturae, fere subscribendum esse censem.
Quodsi enim sanctiones iuris Romani sigillatim consideramus,
tanta in oculos lucet casuum diuersitas, tanta subtilitas in illis
eruendis, et sapientia, tanta animorum ciuium et status notitia,
vt certe feliciorem nulla vnuquam aetas laborem pollicetur, et

A 3

parum



parum forte vitiis compilationis, quae a nonnullis aegre feruntur, offendamur. Quantum praeterea ipsi debeamus et quantum ad dissipandas crassas ignorantiae tenebras attulerit, nemo est, quem fugiat. Merito igitur in ea optimus quisque versatur opinione, vt, hoc si plane in exilium mitteretur, praestantissimum simul migraret scientiae legalis ornamentum,

Sed suis quaeque finibus circumscripta res est. Non igitur limites transiliendi sunt. Sit legibus peregrinis inter nos vsus, in quantum in foro receptae sunt, nullus autem, vbi diuersi patriae mores, nullus, vbi domesticis aduersantur sanctionibus, nullus, et ne per argumenta quidem, vbi spuria et nostro statui minus adaequata fouet principia. Impium esset ac turpe ICto consuetudines ac leges patrias, quae pristinae fidei et virtutum sine fuso plerunque prae se ferunt imaginem, opprimere atque euertere et obtrudere Reipublicae sanctiones statim peregrinas, quae in subsidium tantum vim habent, saepius imo turpe est atque ineptum cuicunque vniuersi iuris disciplinae admiscere peregrina et scientias principiis inquinare, quae a genuinis et patriis fontibus vt aera lupinis distant. Hacc ista peregrinorum iurium cum domesticis iniqua coniunctio animal haud raro profert hibridum, monstrum, deforme.



Ne quid vero a me temere dictum esse videatur, exemplum sit pessima iuris Romani ad quaestiones feudales applicatio. Miror quam maxime, neque satis vñquam mirari possum, quoties video summi nominis Ictos complures fluminis, vt ita dicam, trahi impetu, ipsosque in ea versari opinione, decisionem caussarum feudalium, si pacta conuenta, mores ac leges de feudis, tam patriae quam peregrinae silent, ex iure Iustinianeo esse repetendas. Sed *certe*, Seneca inquit, *non tam bene cum rebus humanais agitur, ut meliora pluribus placeant.* Ecce vestigium iniqui erga leges Romanas, quas diuino afflatu esse compositas, multi olim sibi persuadebant amoris, qui a prioribus seculis, quibus, qui iuris Romani auctoritati limites ponere conabatur, heretos censembar noxiis, ad nostram vsque aetatem propagatus est. ^{c)} Sunt autem feuda, siue originem eorum, siue naturam species, vt ita dicere licet, tam Germanica, vt peregrina quaerque, ob indolem gentium toto coelo diuersam principia respuant atque abhorreant. Quam lubrica sit et parum plerumque idonea morum Longobardicorum ad ferida nostra applicatio, quanta in principes Germaniae et ciues ex illorum abusu redundant incommoda, sunt, qui eleganter satis et scite docuerunt. ^{d)}

Anqui-

c) Fidelem illius prae dilectionis picturam exhibit per ill. liber Baro de Senckenberg von dem iederzeit lebhaften Gebrauch des uralten deutschen Bürgerschen und Staats-Rechts.

d) Willerding it. de Westphal, Bastinellerus, quorum commentationes in Thesauro Jenicheniano reperies.



Anquiramus quoque, utrum securior sit apriorque juris Romani ad quaestiones de beneficiis vocatio. Non abs re esse spero, si quaedam de primis feudorum initiis eorumque ortu praestruantur. Haec dum meditor, incido quidem, quod prope aegre fero, in controuersiam diu multumque agitatam, et quae summis inter viros celeberrimos dissensionibus ansam praebuit. Nolo equidem dudum explosas eorum sententias, qui iam in sacris litteris beneficiorum vestigia deprehendisse credunt, neque eorum, qui haec ipsa a militiis, clientelis, procuratoribus, actoribus, custodibus, conductoribus, emphyteuticariis originem traxisse, autumant, neque tandem eorum, qui inuentionis laudem Gallis, Longobardis et Niponis insulae incolis tribuunt, recensere, neque cum hodie forte nemo sit, qui eorum opinioni calumna adiiciat, longo sermone confutare. Maiorem autem veritatis speciem omnino praece fert eorum opinio, qui in Romanorum fundis limitrophis primas feudorum origines inuenisse existimant. Sumimum sententiae suae, qui ipsi fauent, praesidium, ut constitutiones, tam in Codice Theodosiano, quam Iustinianeo repetitae praelectionis obuias, ex quibus forte parum roboris huic conciliabitur, taceam, quaerunt in loco illo Lampridii, e) ubi, sola, ait, *quae ab hostibus capta sunt, limitaneis ducibus et militibus donavit ita, ut eorum ita essent, si beredes illorum militarent, nec unquam ad priuatos pertinenter, dicens, attentius*

e) In vita Alexandri cap. LVIII.



illos militaturos, si etiam sua rura defenserent, et Vopisci, f)
veteranis, aientis, omnia illa, quae anguste adeuntur Isauriae
loca, priuatis donavit, addens, ut eorum filii ab anno octavo de-
cimo, mares duntaxat ad militiam mitterentur. At enim vero
in his Lampridii et Vopisci verbis, de feudis deque feudorum
originibus deprehendimus nihil. Quis enim est, qui non in-
telligat, fidem formam feudi, quae dat esse rei, non fuisse le-
gem illius negotii, cuius mentionem facit Lampridius et Vo-
piscus? Quis non videt, donatorem, est enim mera donatio, de-
fensionem agrorum non virtute conuentionis, sed ex proprio
possessorum commodo expectasse? Verba; dicens attentius eos
militaturos, si etiam sua rura defenserent, rem certo certiorem
reddunt. Volebat astuta Imperatoris liberalitas, vbi non, quod
saepius etiam siebat, veteranis fundos in remunerationem rerum
bene gestarum tribueret, officio militandi, ad quod donatarius
praeterea erat obstrictus, fortius adhuc calcar, defensionem sci-
licet rei propriae et iuriū masculae sobolis addere, volebat li-
mitaneos in obseruandis hostibus alacriores reddere, imo armo-
rum studium praemiis excitare vel adaugere. Non igitur prima
lex conuentionis erat fidelitas, quamvis obliquus simul Ale-
xandri finis. Vbi igitur vestigium feudi? forte restricta dispo-
sitio, eadem conditio, idem pactum cuilibet fere contractui ad-
iici potest, etiam fideicommissō effici, si etiam plenum dominium,
f) Cap. XII.



quod alii ^{g)} possessoribus vindicant fundorum limitrophorum, negauerimus, forte foeminarum exclusio a successione? ita fane aequali iure Hebraeis Chaldaeis Arabiae et Armeniae incolis et Graccis, quippe quos omnes filias exfortes hereditatis paternae, sola dote contentas esse voluisse scimus, primus feudorum usus adscribendus esset. Putant nonnulli fidem denuo non suisse exprimendam, ad quam illi, quibus fundi tribuerentur limitophi, iam ut milites, ut subiecti, fuissent obstricti. Sed caue, ne existimes, hocce eorum opinioni fauere, fides ob militiam promissa si sufficeret ad feudum, quaelibet fundi donation, qua militem ornaret princeps, feudum esset, et multa sine dubio ante Christum natum feuda occurserent. Quae cum ita sint, neque illa, quae Augustino vulgo tribuuntur, a nonnullis pro adstruenda Romana feudorum origine adhibita verba; *Natum est, quod milites seculi beneficia temporalia a temporalibus dominis accepuri prius militaribus sacramentis obstringuntur et dominis suis fidem se seruatores praestentur,* parum nos a sententia nostra dimouebit. Primo enim inter omnes constat, beneficii mentionem primis quidem seculis numquam affine aliquid feidis denotare, sed vel quamlibet liberalitatem, vel vaccinationem a muneribus beneficii nomine venisse, quo quidem po-

^{g)} Vid. G. L. Boehmeri obs. de Beneficiis Roman. §. 10. qui alienari potuisse fundos limitrophos dummodo fieret sub lege militiae contendit. Non certe obstat Lampridii locus, qui tantum illos numquam ad priuatos, i. e. non milites pertinuisse refert.

III

steriori sensu Caesarem et Plinium beneficiariorum fecisse mentionem neminem forte fugiet. Denique per ea, quae antea diximus, si vel verum esset, quod sane certissimum est, milites seculi etiam Vti beneficia accepturos antea militaribus sacramentis fuisse obligatos fidemque professos, numne hoc sacramento hac fide vi ipsius militaris officii praestanda, si deinde dominorum accederet munificentia, feudale quoddam necteretur vinculum? Porro si in re tam obscura conjectuae locus est, hisce si vis Augustini verbis, vix mos militibus dandi fundos limitaneos indicatur. Quod si enim vel locutionem pluralem qua dominorum mentio sit rei non satis aptam praetereramus, nihil tamen praeterea, quod fundi limitrophi naturam saperet, relatum legitur. Nullum enim successionis filii militis, nullum agrorum ab hostibus captorum, qui militibus essent dati, nullum exclusionis priuati cuiuslibet a possessione vestigium adeat. Decrescebat sub Arcadio et Theodosio iuniore, quibus imperantibus episcopus erat Augustinus Hipponensis, virtus adeo in utroque imperio bellica, vt vix sola essent quae militibus possent concedi ab hostibus capta. Non hostibus sed ab hostibus eripiebantur ubique terrae. Certe igitur Augustinus si fundos in mente habuisset limitrophos, de praeterito potius tempore, quam de suo seculo fecisset verba. Quare etiam, si mauis in illo, quem recensuimus loco feudi lineas reprehendi, auctorem non tam de consuetudine domestica, quam plane peregrina fuisse locutum, aequem cominode crederes.



Scimus ex Procopio iam seculo quinto, cuius tamen annum saltim tricesimum attigit Augustinus a Gothis Herulisque sub Odoacro et Theodorico agros comitibus sub lege fidei esse datos. Scimus deinde eiusdem seculi anno vicefimo secundo Vandalo, quos cum Burgundionibus primis seculis vnam fecisse nationem, certum est, sub Genesero adiisse Africam atque ipsam Augustini sedem episcopalem expugnasse. Scimus denique Augustinum, qui iuuenis Europam ipse viderat, fuisse cum Bonifacio comite in confuetudine. Certe igitur etiam Germanorum mores ipsum ignorasse, quis est, qui nobis persuadebit. Coniectaram hancce si, cum euictum nondum satis sit primis quinti post Christum natum seculi annis fundos a Germanis sub lege fidei esse datos, cumque Auctor scientiam omnium Auditorum supposuerit, veri speciem nullam praefere putas, tamen ipse concedes, aequre incongruum esse, verba, quae excitauiimus, nisi vel ipsa spuria essent, de fundis limitrophis explicari, iniquius adhuc ortum inde eruere feudorum. Sed quid opus est multis contentionibus, cum certo sit certius, locum illum, qui Augustino tribuitur, inter suppositios, quorum magnus in Augustini operibus occurrit numerus, pertinere. Inanem collocabis operam, ipsum si inter sermones in splendidissima illa, qua Benedictini ex congregacione Mauri orbem exornarunt litteratum, quaeres editione, cum merito ipse sub rubro tractationis de symbolo in appendicem Tomi quinti subdividit.

titia

titia opera continentem ab editoribus relatus reperiatur. Etenim dubio caret, integrum hancce commentationem ex Ruffino, Caesario, Gregorio aliisque, prima, quae ad rem nostram pertinent, verba ex Iuone Carnotensi scriptore seculi vndecimi esse collectam. Quae cum ita sint, parum subsidii praebet spurius ille locus, potius malae causae indicium esse videtur, si rei ex locis vel ambiguis conciliare colorem anxie allaboratur. Neque igitur primum feudorum initium, neque ullus vñquam eorum usus Romanis erit tribuendus; imo potius si eorum naturam paulo accuratius anquiramus, ubique prisorum Germanorum indolem facilime deprehendimus. Erant nimis Germani ferox natio bellisque sautrix, cui Tacito ^{h)} teste *pigrum et iners videbatur, sudore acquirere, quod posset sanguine parari.* Rarus vero inter ipsos aurum argenteum usus. Hinc epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedebant, materia munificentiae per bella et raptus, binc exigebant comites principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam vistricemque frameam, banc apud illos togam, hunc primum iuuentae honorem. Sed haecce omnia sine onere, vbi fides, qua et armis nullos antea Germanos fuisse in eodem Tacito ⁱ⁾ praeclarum legitur testimonium. Neque huius vestigia frustra quaeres in Auctore nostro. ^{k)} *Cum ventum est,*

B 3

inquit,

^{h)} De M. G. cap. XIV.

ⁱ⁾ Annal. XIII. cap. LIV.

^{k)} All. cap. XIV. de M. G.



inquit, *in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare.* Iam vero infame in omnem vitam ac probosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere tueri sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. En fidem genio seculi, et ipsi feudali negotio satis congruum, en procul dubio primas lincas, quae deinde sequentibus, per quorum tenebras, quod ad Germaniam, parum penetrare licet, seculis feudorum veram effecerunt effigiem. Hi prisci Germani quamuis agros, quos pro numero cultorum in vices esse occupatos, ex ipso Tacito¹⁾ constat, vix dare possent in feudum, nihil tamen secius feudorum primi esse auctores poterant. Rem omni dubio extricasse mihi videtur Spenerus,²⁾ qui si vel illorum feudorum, quae hodie Soldatae vel de cauena appellantur, inuentores suissent prisci Germani, iam illud sufficere ad incunabula feudalis rei inde repetenda, suo iure arbitratur. Hunc igitur et Gebaerum³⁾ cum dicta dicere et nimis longe a tramite aberrare non placet, excitasse sufficiat. Scimus praeterea cum Grotio,⁴⁾ usum feudorum fere exulare, ubi Germani fedes non posuerunt.

Sci-

¹⁾ De M. G. cap. XVIII.

²⁾ In prolusione academica de primis feudorum vestigiis in Germaniam antiquitate peruestigandis.

³⁾ De originibus feudi Germanicis, qui etiam reliqua summi viri Gundlingii dubia felicissime remouit.

⁴⁾ De Iure Belli ac Pacis libr. I. cap. III. n.



Scimus cum ipso ^{p)} Gothos, Vandalos, Alemannos, Burgundiones, Anglos, Saxones, et omnes nationes Germanicas, suas quamque leges aut mores de feudis habuisse. Scimus denique terminos feudales plerisque omnes ex lingua proficiisci Germanica. Soli scriptores rerum Germanicarum antiquiores feudorum mentionem faciunt, formam et naturam ipsorum solae leges fanciunt domesticae. Quae cum ita sint, forte extra omnem dubitationis aleam positum est, feudorum primum usum et incrementum Germanis esse vindicandum. Quod si vero feuda Germanorum moribus et institutis originem debent, nihil certius est, quam quod, si illorum iura ex puro et genuino fonte haurire velimus, mores patrios sollicite peruestigare debeamus, legesque euoluere domesticas, non autem aliena ^{et} exotica principia ad expositionem iurium domesticorum perpetram afferre. ^{q)}

Ne vero fortassis consuetudinum Longobardicarum existimemus me iam esse oblitum, ne vel illarum apud nos omnem me improbare usum, putes, quid ea de re sentiam, paucis exponam. Certe earum quoque in controversis praecipue illustribus exiguum et lubricum plerunque esse usum, omnino arbitrio arbitrii, et non in iure publico ratione, sed in iure particulari.

^{p)} Libr. 2. cap. 7. p. 21. ibidem.

^{q)} Vid. Gribnerum de iure incerto ex dubia LL. quibus utimur auctoritate oriundo §. IX qui casus inceptae Iuris Romani ad quaestiones allodiales applicationis afferit complures.



tron. Nemo vero, cui non manifesta negare placet, illas, in
 quantum non aduersantur patriis moribus legibusque domesti-
 cis, neque ridicula inepta et feudis nostris minus congrua con-
 tinent, esse receptas, ideoque interdum auctoritatem haberein-
 ficiabitur. Sed ecce! quot restrictiones, tot certe exigui et an-
 cipitis carum v̄lus rationes. Interdum imo plerunque moribus
 legibusque domesticis et statui nostro, haud raro vel sane ra-
 tioni e diametro contrariis nituntur principiis, raro igitur etiam,
 interdum tamen ad illas erit configendum. Sed eadem caue
 praedices de iure Romano. Longe dispar adest vtriusque con-
 ditio. Mores Longobardorum feuda sola pro obiecto habent,
 quorum nec volam nec vestigium in iure Iustinianeo deprehendi-
 mus. Priores ab indole Germanorum, cum illi, qui postea Alboi-
 no duce occupauerant Italiae partem, teste Strabone r) origine
 essent Germani, non vbiique adeo alieni sunt, vt ne nonnun-
 quam, quamvis omnino rarius commode possint ad controvier-
 sias nostras feudales vocari, posterius contra ambitiosis, post
 luxu effoeminatis opulentisque datum erat ciuibus, qui feudo,
 inopiae, vti antea vidimus, primitus subsidio, non egebant.
 At enim vero ICto consummatissimo, Hornio nostro non idonea
 subesse vila est ratio, cur mores Longobardorum non aequa in
 subsidium vocari possint, intuitu allodialium ac ius allodiale in
 feudalibus. Si quid video, vtrique verum est, sere maiorem ad-
 emendationem audim. Ad aliud ex orationi sui ab inveniendo dicitur esse
 r) Item Ptolom. Libr. II. cap. 2. et Tacito de Moribus German. cap. XL.



esse rationem, cur ius Longobardicum ad allodia, quarum non
aque ignarum est, possit adhiberi, quam ius Romanum ad
feuda, nihilo tamen secius Schilteri summi viri opinio, mores
Longobardorum nunquam posse ad caussas trahi non feudales,
cum satis constet, illos in Germania in materiis tantum feuda-
libus vnu esse receptos, verior quidem esse videtur; sed profe-
cto aque idonea ratio, cur ius Iustinianum in feudalibus nor-
mam dare possit, expectatur, aequo vel illud in caussis allodia-
libus tantummodo receptum esse, certum est. Quomodo enim
vnquam apte consuetudines Germanorum, basis feudorum ex
peregrinis illis explicabuntur sanctionibus? Per argumenta,
inquit celeerrimus Hornius, perque interpretationem in sub-
sidium trahitur ius Romanum, ad Iuliani prouocans effata,
qui, non possunt, ait, omnes arriculi signatim in legibus vel
Satis comprehendendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum ma-
nifesta sit, is, qui iurisdictioni praest, ad similia procedere atque
ius ita dicere debet. Sed quid inde? Agit ICTus de interpreta-
tione extensiua. Nemo erit, qui dubitabit, quin lex, si ratio
casui non expresso simili adaequata adsit, ad illum possit vocari.
Sed an vnquam quaero, ratio legis Romanae caussae feudali erit
similis, an sententia conditoris legis eiusmodi ad feuda, quae
ignorabat, pertinebit? Fundamentum extensiuae interpretatio-
nis est sine dubio praesumta legislatoris voluntas. Colligitur
Quod sententia conditoris legis eiusmodi ad feuda, quae ignorabat, pertinebit?

L. 10. II. et 12. D. de LL.



ex paritate rationis hunc ipsum velle decisionem peti ex legē,
quae in casū simili ponit normam. Iam vero nemo sane adeo
insipiens erit, qui nos ad obseruandas illas leges, Sctā, plebiscita,
edicta magistratuum, responsa prudentum et principum placita,
ex quibus ius Iustinianum conflatum est, per auctoritatem inac-
tatemque conditorum credat esse obstrictos. Non nisi receptio-
nis virtute obligat Germaniam ius Romanum, solā Principum,
legum ferendarum potestate pollutum, qui illud sensim vnu-
recipi passi sunt, tacita voluntate stabilitur. Sed illos principes
per spuria et incongrua prorsus rei feudali principia mores pri-
stinos euerti, opprimi, ipsisque inferri praeiudicium voluisse,
num vnuquam credibile erit? Ecce monstrosum praesumptionem!
Non deerunt fortassis qui obiciunt, summos tamē Legum in
Germania conditores, casus interdum nonnullos de feudis ex
iure Iustiniane esse decisos, aequo tulisse animo. Sed etiam si
res ita se haberet, quod tamē forte a veritate maxime alienum
est, ius tamē Romanum generaliter et vbi deficiunt iura feu-
dalicia in caussis feudalibus insubsidium recepisse eos, quibus sum-
ma in territoriis potestas est, tantum abest, vt possit probare, vt
potius per recentiorem consuetudinem huius vel illius legis dis-
positionem esse firmatam, forte efficeret. Principis igitur potius
est, anquirere, vtrum lex quaedam singularis ad feuda sit tra-
henda, non ICti, cui leges peregrinas easque incongruas principi
inuitio et Reipublicae obtrudere nunquam par erit. Hoc certe
fieret,



ficeret, si regulam ius Romanum etiam in subsidium causis feudalibus esse adhibendum, vellemus admittere.

Vno ore quidem docent ICri non statim recurrendum esse ad iura allodialia, si verba desint, sed elaborandum esse, num ex sententia cuiuslibet feudalis dispositionis atque analogia per commodam interpretationem decisio peti possit. Sed ecce quot subsidia, quam latus ICto aperitur campus! Primo omnium habet litteras inuestiturae et conuentionis feudalis instrumentum, speciales deinde loci, vbi feudum situm est, consuetudines, porro iura de feudis particularia et patria, tunc ad ius commune Longobardicum, quantum quidem commode fieri potest, aditus patet, denique ipso, quem Julianus commendat, modo, omnium eorum interpretatione ut licet. Quid igitur opus est iure Romano, cum, qui in vita civili obuenire possunt causis controuersi, ex longe puriori fonte dirimi possint atque componi?

Ne vero praesidium amplius quaeras in generali illa Iuris Romani receptione aliquantulum excurrendum esse duco. Ius Romanum initio ICtorum usu dogmatico, qui cum perosa esse coepisset crassa, quae Germaniam premebat, ignorantia, ex patria academiis destituta Italiam et principue academiam Bononiensem adibant indeque reduces iuris



Romanii, quae hauserant, apportabant principia. Isti homines, cum forte prae ceteris splendere, simulque grati animi erga Italiam ponere monumentum vellent, fallaces ac fucosas distribuebant merces, domestica peregrinis admiscebant, quadrata rotundis, confusa, studio emendandi ducti, reddebant haud raro ea, quae ante erant perspicua, impiumque sensim abrogandi mores patrios probebant consilium. Quantum his eorum conatibus se opposuerint status Imperii et de remedis contra peregrinum malum quam sollicite deliberauerint, exempla docent complura. Iam anno MCCCCXVII. Sigismundus Imperator ita decreuit. Nachdem die Sachen teutsch und um des Reichs Lehn wären, und ihr beydeseits ein teutsch Recht mit teutschen Fürsten besetzt hätten und beyde Theile mit teutschen Fürsprecher fürgestanden und ihr Sach nach teutscher Gewohnheit fürgelegt hätten, so sprechen sie zum Recht was jeder Theil fürlegen wolle, es wären Briefe Wort oder andere redliche Rundschaften, daß er das in teutschen und nach teutschen Rechtens Gewohnheit durch seine Fürsprecher thun und fürlegen solle. In comitiis Novicis Ao. MCCCCXXXI. inter deliberanda haec erant. Gedencket zu ratshschlagen wie das die alten Recht und Gericht gehandhabet werden und ihren Gang gewinnen und das von alten herkommen. Idem confirmat Reformatio Moguntina de Ao. MCCCCXL. eiusque declaratio, quibus Doctores isti Italizantes et Italici,

quia

¹⁾ Quas exhibet Goldastus in Reichs Sachungen T. I. p. 166.



quia a quinquaginta annis omnia euerterent, a iudiciis quavis ratione arcentur. Siue autem hi nonnullorum statuum Imperii, vti Coringius ^{u)} autem, in sumum abierint conatus, siue non, tamen id, non aequo ipsis animo tulisse receptionem peregrinorum iurium, luculenter cum reliquis satis comprobat, et ipse Coringius, *Fridericum minus benigne de his Doctoribus sensisse, iuris, aientem, ab iis omnem aequitatem eueriti, iustitiamque foedari, ad Cuspinianum in eius vita prouocans, facetur.* Quicquid autem sit, certum omnino est, initio peregrinas et imprimis Romanas leges in scholas irrepsisse, deinde sensim sese etiam in fora insinuasse, imo quodammodo publica auctoritate in suprema Imperii Collegia, in territoria statuum vero silentio et patientia principum, esse introducta. En fundamenta receptionis, cuius tamen certe limites sunt. Legas, quae idoneis nixus argumentis Gribnitus ^{x)} hac de re tradit. Suo ipse iure omnem iuris Iustinianei usum tam in iure publico, quam in iure principum priuato, nisi legis cuiusdam specialis receptio probari possit, abusum appellat, controversias, ratus, ciusmodi ex iure gentium et Germanico esse componendas. Debole igitur fulcrum est generalis iuris Romani receptio pro stabilienda ipsius in omnibus causis auctoritate.

C 3

Obiicis

^{u)} De Origine Iuris Germ. c. XXXII.

^{x)} De praecidicio Principum Imperii ex abusu Iuris Romani.



Obiicis forte, opus esse iure subsidiario, ex quo per argumentorum usum posset, ubi omnia silent, deciso repeti, sed haud procul abes ab infania eorum, qui puro fonte, cuius beneficio sitis pellerent impetum, destituti, venena bibunt. Audias Surdum ²⁾ Legem quaevere, ubi est ratio naturalis, infirmatas est intellectus. Quid impedit, quo minus si interpretatio legum feudalium et omnia quae recensuimus deficerent, auxilia, quae certe nunquam deficiunt, statim ad rationem naturalem, ultimum denique subsidium, si antea operam fortassis, quaerendo similia in legibus Romanis claudicantia perdideris, confugias. Dicis cum consuetudine et legibus feudalibus nihil est determinatum, credendum est, in eo mores feudi non discrepare a iure allodiali. Ergo etiam aditus patet ad leges Romanas. Egregium argumentum, cur non in Saxonia ad ordinationem metallicam, ad Edictum de Duellis, de ludis fortunae confugiendum esse tradis? Respondes, haec non de feudis agunt, nihilo tamen fecius, quatenus commode applicari possunt, quamuis vix fieri queat, merito applicantur. Concedo utrumque. Sed aequum ius Romanum feuda, quorum praeterea plane ignarum est, filiet, aequum, ut hoc unquam commode applicetur, fieri nequit. Denique, quod potissimum est, in peculiari feudorum negotio, iuris Romani auctoritas, ob receptionis defectum et quia principia tradit a re feudalii aliena, penitus exulat. Similia, regere

ris

²⁾ De alimentis Tr. quæst. 45. n. 58. quem idem excitat Gribnerus.

ris continet. Certe non nisi claudicans adest et imaginaria similitudo. In emphyteusi, ais, est diuisio domini, et praecipuum, quo gaudet vasallus, commodum est vsusfructus. Neutquam vtile est dominium, ius, quod non morte expirat, quod longe illo excellentius est. Oppido iejuna sunt, quae de emphyteusi profers. Vbi forma fides, vbi natura successio masculorum exclusiva, sacramentum, seruitia, vbi causa in oblato defensio, in dato vel auxilium militare vel bene gestorum praemium? In feudo vbi lex meliorationis vbi nisi per accidens laudemium, canon? vbi transmissio ad heredes quoslibet, vbi valida inter viuos dispositio, solo iure protimiseos domino concessio? Quantum discriminis, quam fallax a simili argumentum, quam spuria emphyteuseos in quaestione feudali principia, quam iniqua eorum adoptio? Quac cum ita sint, nullus esset iuris Romanii nihilominus in feudalibus vsus, si vel regula, debere illud, vbi cunque commode in subsidium adhiberi possit, ad quaestiones de beneficiis ortas applicari, haud falleret. Tam spuria disciplinae plane separatae nunquam sine incommodo adhibentur principia. Ita ius Romanum in materiis plerisque criminalibus et ad solitum iudiciorum ordinem spectantibus aut nullum habet usum aut valde exiguum, ita multa capita, de albo corrupto, de iurisdictione, de seruis, de inutilibus stipulationibus, de potestate magistratum, et id genus innumerabilia salua receptione, parum aut nihil inter nos proficiunt.



ciunt. ²⁾ Longe alia hodie rerum facies, longe dispar status et morum indoles. His igitur, meo quidem iudicio, haud leuibus impediior argumentis, quominus iuri Romano ex generali illa receptione et nisi forte dispositio specialis recentiori lege vel consuetudine comprobata fuerit, ullam concedere possim in iure feudali auctoritatem. Dispiciendum iam erit, vtrum forte illud ex consuetudinibus Longobardicis robur quoddam capiat. Obertus quidem ipse fatetur, *non vilem esse iuris Romani auctoritatem, strenuum, existimans, Legisperitum, sicubi causus emerit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia vti posse legi scripta.* Sed parum ponderis habet hoc Oberti iudicium, mores Longobardorum de feudis recepimus, non leges eorum allodiales. Loquitur ipse non de iure solum Romano, sed etiam de Lombarda seu Legibus Longobardicis, quarum etiam in ipso textu fit mentione et quarum procul dnbio tunc temporis haud vilior erat auctoritas, quam iuris Romani. At enim vero strenuus Legisperitus hac Lege Longobardorum scripta, hodie, sicubi causus emerit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia vix, nisi ad illustrationem, salua Mediolanensis Consulis existimatione, poterit vti, sic neque aequali ratione ullum inde recipiet vigorem in caussis feudalibus ius Romanum.

<sup>andilunt ob eius ob onofibini ob compito odi-
nit amog li is tunc rigitur confitit ob audionum</sup> Prouo-
-<sup>2) Dubium Iuris Romani auctoritatem ipsamque, cui faues, interpretandi
licentiam suo iure pro praecipuis caussis iuris incerti habet Gribnerus illustr.
Opuscul. Tom. IV. Sect. III.</sup>

Prouocatur denique ad exempla ab eis, qui in ius feudorum legum Romanatum peregrinitatem infundere moluntur. Necessario decisionem ex hoc ipso repetendam esse in notissima illa quaestione, vtrum filiabus ex feudo nouo, ad quod acquirendum pater vel omne allodium vel tantam eius partem adhucuit, ut legitima sanguia non sit, ipsa sit praestanda. Putauit Carpzouius et ante eum Hartmannus Pistoris rem ex Titulo Cod. de inofficiois donationibus esse decidendam, ita tamen, ut ne ex ipso feudo per se considerato, possit peti legitima, sed tantum ob comparationem feudi. Rem accuratius anquirenti facile apparebit, neque titulum Codicis de inofficiois donationibus per se, neque vi generalis illius iuris Romani receptionis, ad illam quaestionem vnamquam commode posse applicari, neque etiam hancce thesin vere ad ius feudale pertinere. Vtar ipsis Carpzouii argumentis. Legitima est portio eius, in quo quis esset successurus ab intestato. Ex illo principio non posse dari legitimam filiae ex feudo antiquo, ipse contendit Carpzouius, quia scilicet filiae non datur in illo successio. Numne autem filiae ius succedendi conceditur in feudo nouo, negandum esse in regula constat, ex quo prono alio fluit, neque filiae legitimam ex feudo nouo, nisi ubi successio ipsi competit, deberi. Sed successura fuisset filia in illud, quod pater in feudum impenetrerat, quare etiam illius debet in legitimam computanda ratio haberi, quippe quae inofficiosa patris donatione non potest un-

D

quam



quam valide minui. Datur beneficio laudati tituli Codicis quæ
rela, qua ad id, ut rescissa in tantum donatione, legitima supplea-
tur, agitur. Ecce quam apte applicetur ius Romanum! Vbi
in proposito casu donatio? numne inuestitura, qua quis acqui-
rit feudum nouum, si vel latissime sumas donationem, donatio
erit. Numne ille, qui iure singulari succedit patri, in acquiren-
do feudo allodialia exhaustienti bona, donatarius est, vbi im-
mensa liberalitas patris erga successorem? Indirectum quod
successor sentit commodum an donatio est? feudum finge a pa-
tre ob feloniam amissum, ex gratia Domini restitutum esse, iam
nouum fit, hanc ipse gratiam patri Vasallo pro maxima allodii
parte vendidit, non salua est legitima, pater moritur, deuoluit
iam ad agnatos feudum. Hi ex noua illa feudi acquisitione
ne commodum quidem obliquum habent, et tamen donatio est.
Acquirit porro pater filios habens complures feudum nouum,
hoc iure antiqui conceditur, moriuntur ante patrem filii, iam
ad collaterales transit feudum, quibus acquires forte praefilia-
bus fauere noluit. Nihilo tamen fecius donatio est. Finge
etiam ad filium deuolui feudum, numne donatio adest? vbi pa-
tum legale, vbi ex parte successoris acceptatio? Haec si conser-
dero, sane nescio, qualis actus speciem præ se ferat donationis
in officiose. Exhaustum est omne allodium, legitima igitur ca-
pit detrimentum, desunt successores, iam ad dominum redit
dominium utile, forte igitur dominus erit donatarius? Porro
anti-



antiquum pater vendit feudum, in quo soli filio dabatur ius successionis, pretium ad allodium pertinet, iam illo pater nouum sibi parat beneficium, priori longe inferius, proprium est, moritur pater, ad filium deuoluitur successio, per acquisitionem feudi illius filia, quae successura fuisset simul in pretium feudi antiqui in legitima laesa est, hanc, si rem ex ista regula, debere omne id in quo successura fuisset filia, pertinere ad legitimam, diiudicas, frater donatarius supplere cogitur. En egraeiam donationem, fleibile beneficium! Quod si vero obliquum quoddam ad successorem peruenit emolumentam, numne tunc fortassis donatio aderit? Certe hoc si adstruendum esset, omne negotium, siue lucratuum siue onerosum sit, quo aliquod in extraneum redundat commodum, si deinde filiis vel parentibus vel certo respectu fratribus legitima salua non esset, inter donationes pertineret inofficiosas. Sic non opus esset actione quasi Caluisiana, potius quicquid in fraudem legitimae alienatum esset, beneficio tituli illius Codicis de inofficiosis donationibus reuocaretur. Denique ille, qui in feudum succedit, rem non titulo. mere lucratuo acquirit, sed et illam spem successionis feudalnis ipsumque ius Vasalli cum haud exiguo interdum onere esse coniunctam, quis est quem fugiat. Ecce igitur egregium aptae iuris Romani ad quaestiones iuris feudalis applicationis specimen!



Iam disquiramus etiam, vtrum si vel ius Romanum in subsidium in feudalibus esset receptum, Titulus ille Codicis in proposito casu virtutem vbiique posset exercere? Omnes in eo hodie conspirant, non inesse iuribus receptis auctoritatem, vbiunque vel moribus patriis vel legibus domesticis aduersantur. Iam vero quaero, vtrum legitima praeceps filiarum moribus conueniat priscorum Germanorum et legibus, quaero an filiabus olim datum sit ius succedendi. Testamentorum factionem inter Germanos non fuisse in usu et patrem, quippe cui in ipsis ius competitae vitae ac necis, liberos potuisse pro libitu hereditate priuare, ambiguum non est. Exhereditationis igitur et legitimae praeter Wisigothos Romanorum aemulos, gentes Germanicas vel fuisse plane ignaras, vel saltim earum nullum inter ipsis fuisse usum, inter omnes constat. Porro omnes consentiunt, filias in subsidium tantum deficientibus filiis imo nepotibus ex filio admisso fuisse ad paternam hereditatem. Ne igitur in allodio quidem, nisi in subsidium successio dabatur filiae. Hi igitur erant mores, haec leges veterum Germanorum pleraque fanciebant. Non quidem inficias eundum est, hos mores ante iuris Romani teceptionem nonnullis locis intuitu allodialium in desuetudinem abiisse, in terris Salicis vero regula, quod nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terra hereditas pertineat, salua mansit. Non vero certe vbiique hanc filiarum a successione exclusionem diu deseruisse veteres

Ger-



Germanos vel ius ipsum prouinciale Saxonicum ^{aa)} probat, quo dicitur: Vaters und Mutter Schwester oder Bruders Erbe nimmt der Sohn und nicht die Tochter, es sey dann, da kein Sohn sey, so nimmt die Tochter. Vbicunque igitur hi mores eo tempore, quo in foro irrepit ius Romanum, viguerunt, certe per subsidiarium hocce ius detrudi haut poterant, neque legitima dari filiae, quae a paterna hereditate plane erat exclusa. Potius noua lege vel scripta vel non scripta qua iuris antiqui iniquitas corrigeretur, opus erat. Et certe ita res se habet. Habemus, quod attinet casum propositum, in Saxonia Constitutionem Augusti Electoris ineditam, quae litibus, ut principium docet, antea hac de re ortis innumerabilibus obicem posuit, quaque rem incidere in iura naturalia disertis dicitur verbis ^{bb)} et ita nullus dubito, fore, ut filiae iura in quoquis fere territorio per legem prouincialem ^{cc)} vel consuetudinem sint munita, quae certe si ius Romanum casum decideret, plane essent superfluae. Denique etiam haecce quaestio plane non est feudalis. Omnes enim uno ore fatentur, non posse legitimam neque supplementum eius ex ipsa feudali substantia posci, sed illum in numerata pecunia esse praestandam, non datum filiae ius tacitae hypothecae, nexus igitur feudalis nulla ratione turbatur. Non igitur etiam hacc filiabus debita legitima

D 3 inter

aa) Libr. I. art. 17. Heinoccius El. Iur. Germ.

bb) Cod. August Tom. I. p. 173.

cc) Vid de Leyser Epist. ad Wissmannum §. 37. vbi constitutio Brunsvicensis exhibetur.



inter debita vere feudalia pertinet, sed nexus adest mere allodialis, cuius solummodo causa est occasionalis feudum.

Altera supereft quaefcio, quam celeberrimus Hornius dd) proponit. Quaefcio est, num, si Titius vendidit feudum extraneo, frater Titij et fratris praemortui filii simul iure reuocandi gaudeant. *Quod fratrem, inquit, attinet, res dubio caret, sed de filio fratris nihil reperitur in iure Longobardico, quia vero ius civile fratris filium, quoties cum eo concurrerit patruus, atque agitur de eo iure, quod ex persona patris defertur, vocat in locum patris Nov. 113. cap. 3. ciuili iure in partes vocato illud caput Titius ita explicari potest, vt et locus simul sit fratris filio, si maxime II. Feud. n. nihil haberetur de fratris liberorum successione.* At enim vero, nonne hic cum spectris pugnatur. Decisa res est, vt iura prouincialia taceam, illo II. Feud. II. Normam dat iuri reuocandi ius successionis. Proximior, dicitur II. Feud. 26, agnatus mortuo Filio recuperare potest feudum. Iam quis est ille proximior? Respondetur II. Feud. II, vocantur fratres cum praemortuorum fratrum filiis. Res igitur luce meridiana clarior est, cur fingeremus rem non esse lege feudalii decisam. Forte non datur, modo fingitur casus, quo quaefciones feudales, iuris Romani subsidio indigent! Quod si vero vnuquam quaefcio veniret decidenda feudalis ne tot quidem subsidiis extri-
dd) Jurisp. Feudali Cap. 1. §. XLIX.



tricabilis, quid impediret, quominus, si forte tunc a cerebrina,
vti vocas, aequitate, ab ipsis rationis naturalis praeceptis tan-
tum abhorreas, quid, inquam, impedit, quominus, si res fit
priuata, ab ipso Principe optimo legum interprete per sugge-
stionem, authenticam impetres interpretationem. Forte tu-
tius videbitur spuriis domesticam doctrinam peregrinorum prin-
cipiis corrumpere. Reliqua iuris Romani ad feuda nostra vo-
cationis exempla, quorum fallax omnino fundamentum, vel
Vulcano cornu concluso destitutus, illico videt, sponte praec-
tero. Sane caeterum mecum nemo sine molestia veteres
intuebitur feudales commentatores, quorum paene quaevis pa-
gina Bartolum et Baldum et leges minus idoneas, continet.
Sero medicina paratur. Sed certe tanta doctrinac feudalis de-
prauatio optimum quemque ad restaurandos genuinos scientiae
fontes atque repurganda ipsius principia inuitat, quae quidem
res cum haud paucis absolui queat pagellis, sed volumina po-
scat, Tibi, Lector Benebole, cui forte fautrix natura praefantiores
et tanto labore pares concessit vires, tam pium tamque patriae
salutare propositum commendo. Quem quidem laborem si in
Te suscipere velles, haud noctuas mitteres Athenas.

Vltimo denique loco, memor sum officii, quod quidem huic
prolusioni dedit opportunitatem. Scilicet summi numinis opti-
mique PRINCIPIS, SERENISSIMI SAXONIAE ADMINI-
STRA-



STRATORIS, herois toga sagoque splendidissimi beneficium, quo equidem ad iura feudalia publice in hac alma academia docenda nouissime sum adhibitus, publicas a me exigit gratias. Quibus cum more institutoque maiorum solemnis quaedam oratio praemittenda sit, non abs re fore arbitror, si de doctrinae feudalis, quam a nonnullis esse contemtam neglectamque doleo, praestantia necessitateque paulo vberius differam.

Hunc igitur inaugurem actum cui proximus dies Martis destinatus est, ut RECTOR ACADEMIAE, MAGNIFICVS Amplissimi huius bonarum artium sedis PATRES CONSCRIPTI, cuiuscunque ORDINIS PROCERES, CIVES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE et quisquis tandem litteris fauet, praesentia sua condecorare meque pristino fauore ac benevolentia, quam nihil prius habeo nihilque antiquius, erigere velint atque exornare, iam ea, qua par est, animi pietate atque obseruantia oro rogoque.

D. P. P. Dom. Quasim. A. R. S. CIC CC LXVII.



V
D
A8

ULB Halle
005 361 745

3



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Yellow



COMMENTATIO
DE
INCONGRVA IVRIS ROMANI
AD FEVDA GERMANIAE APPLICATIONE

O R A T I O N I
PRO RITE CAPESSENDO IVRIS FEVDALIS
DOCENDI MVNERE
D. *II. Maij* APRIL. MDCCLXVII
HABENDAE PRAEMISSA

A

IOANNE CAROLO GEBHARDO REINHARDO D.
FACVLTATIS IVRIDICAE ET IVDICII PROVINCIALIS
IN MARCHIONATV INFER. LVS. ASSESSORE
ORDINARIO.



V I T E B E R G A E
EX OFFICINA GERDESIANA.

